



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Tractatus VIII. religionis, qui est de adoratione, & sacrificio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)



TRACTATUS VIII.
RELIGIONIS,
 QVI EST
DE ADORATIONE,
 ET SACRIFICIO.
 PROOEMIUM.

RÆCEDENTI Tractatu diximus Religionem varios actus habere, internos & externos. Ex externis præcipui sunt Adoratio, & Sacrificium; quia his maximè cultum Deo debitum exhibemus: adoratione enim Deo, ut supremo Principi, & Domino te submittis, Sacrificio eius diuinam excellentiam, & dominationem testaris. De utroque dicendum.



DISPUTATIO I.

De Adoratione.

PUNCTUM I.

Quid sit Adoratio, & quotuplex.

- 1 Nomen adorationis, qua ratione suscipitur.
- 2 Explicatur definitio adorationis.
- 3 Ex intentione adorantis, & ex dignitate persona adorata distinguitur.
- 4 Debet persona adorata esse superior adorante.
- 5 A tribus Theologicis virtutibus adoratio distinguitur.
- 6 Adoratio alia est absoluta, alia respectiva, & qua hæc sint.

Nomen adorationis commune est cultui exhibito Deo, Angelis, & hominibus, ut ex Scriptura sacra constat Deuteronom. num. 6. & Matth. 4. Nomen adorationis pro cultu tantum Deo exhibito usurpat. At Gen. 19. applicatur ad Angelorum cultum: vidit enim Loth duos Angelos, surrexit, & iuit obuiam eis, adoratiueque pronus in terram. Sed 3. Reg. 1. & alibi sæpe accipitur adoratio pro reuerentia hominibus facta. Secundò, nomen adorationis commune esse solet sacrificio; quia per sacrificium cultus Deo exhibetur, iuxta illud, Ioan. 4. Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, scilicet per sacrificium. de quo erat interrogatio facta. At sacrificium non est propriè adoratio; quia solum est reuerentia supremi dominij, & excellentiæ, quod absque ulla submissione fieri potest. His positis.

Definitur adoratio in genere, ut sit submittio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ ex affectu illam sic recognoscendi: Sic omnes Doctores ex Damasceno, Orat. 1. de imagin. præp. ab initio, & orat. 3. Potest ergo hæc adoratio Deo, & creaturis fieri; quia in Deo, & creaturis excellentia reperitur adoratione digna. Si adoratio fiat Deo, erit submittio Deo tanquam supremo principi, & infinitè perfecto ex affectu illum sic recognoscendi. At si adoratio homini, vel Angelo fiat, erit submittio proniens ex recognitione creatæ excellentiæ. Quapropter cum creatæ excellentiæ, & increatae omnino diuersa sint, adoratio creatæ excellentiæ, & increatæ omnino differunt. Unde Sancti ad earum distractionem variis nominibus vruntur; & adorationem Dei vocant latriam, adorationem Sanctorum

doliam; eam verò quæ B. Virgini fit, hyperduliam; quia intra latitudinem creatæ excellentiæ omnium est eminentissima.

3 Ex his constat primò, adorationem ex intentione adorantis, & ex dignitate personæ adoratæ distingui: & licet personæ adoratæ, Deus scilicet, & creatura in dignitate, & excellentia analogicè tantum conueniant; non inde inferitur adorationes analogicè tantum conuenire: quia utraq; adoratio creata est, & supernaturalis, ac proinde non habet in se, vnde analogicam diuersitatem habeant, sicuti amor Dei, & proximi vniocè conueniunt, etsi vnus respiciat increatam bonitatem, alius creatam. Sic Suarez disp. 51. sect. 2. vers. Nihilominus. An verò pertineant ad eandem virtutem, infra. Punct. 3. videbimus.

4. Secundò constat adorationem esse cultum, honorem, venerationem, & reuerentiam, quam adorans exhibet personæ adoratæ: at non omnis cultus, honor, veneratio, & reuerentia est adoratio. Quia honorare, colere, & venerari æqualem, & inferiorem potes; non tamen adorare; est enim adoratio actus, quo te alteri submittis, & illius superioritatem recognoscis, ut bene notauit Valquez, de Adorat. disp. 1. c. 1. num. Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 51. sect. 1. in princ.

5 Tertiò, constat distingui adorationem à tribus Theologicis virtutibus: tum quia est actus virtutis moralis; tum quia non respicit Deum, ut proprium obiectum, sed cultum submitsum, & venerationem diuinæ excellentiæ. Tum quia fide, spe, & charitate non te Deo propriè submittis, licet illum colas, & venereris. Quarto constat distingui ab humilitate; quia humilitas est voluntas exhibendi signa submissionis ex affectu conueniendi te in gradu proprio. Adoratio verò procedit ex affectu diuinam excellentiam, & maiestatem recognoscendi.

6 Præter supradictam distinctionem adorationis, alia est communis distinctio adorationis absolutæ; & respectiuæ. Adoratio absoluta est illa, qua quis alteri se submittit ob excellentiam illius, quæ adoratio soli creaturæ rationali, & intellectuali conuenire potest, quia sola illa capax est absolutæ adorationis; siquidem sola illa capax est virtutis, sanctitatis, dominij, &c. quæ sunt qualitates constituentes obiectum dignum adoratione; solaque illa intelligere submissionem potest. Respectiua adoratio est, quæ fit alteri non propter excellentiam in illo residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliud, & ratione cuius iudicatur honore dignus: hæc igitur adoratio rebus inanimatis conuenire potest, quia non sinit in illis, sed tranfit, & refertur ad personas, ad quas ille res inanimatæ respiciunt, ut contingit in adoratione imaginum. Sic Suarez Tom. 1. in 3. p. disp. 51. sect. 2. in fine. Azor. 1. p. 1. c. 5. q. 4. Bonac. Tom. 2. disp. 3. de adorat. Punct. 1. in fine. Valq. de adorat. disp. 3. c. 2. in princ.

PUNCTUM II.

Qua adoratione Christus Dominus adorandus sit.

- 1 Christus Dominus adoratur adoratione latria perfectissima.
- 2 Humanitas coniuncta Verbo adoratione latria adoratur.
- 3 Possitne humanitas adorari adoratione inferiori latria. Proponitur dubitandi ratio.
- 4 Decenter humanitas Christi adorari non potest adoratione inferiori.
- 5 Satisfit rationi dubitandi, num. 3. adiecta.

1. **D**E fide est Christum Deum, & hominem adorandum esse adoratione illa latria perfectissima, qua adoratur tota Trinitas, & quælibet persona Sanctissima Trinitatis. Tum quia, ut sic Christus Dominus est verus Deus. Neque enim Verbum diuinum assumens naturam humanam, se diuinitate priuauit; sed retinens diuinitatem, humanitatem sibi copulauit: tum quia sic fuit adoratus à Magis *Matth. 2.* à cæco illo illuminato, *Ioan. 9.* ab Apostolo Thoma, *Ioan. 20.* & sic esse adorandum tradit *Paul. Philipen. 2.* cum dixit in nomine Iesu, omne genuflectatur, & ad *Hebr. 1.* & adorent cum omnes Angeli eius, & ita tradunt omnes Catholici, ut multis exornat *Suar. Tom. 1. in 3. disp. 53. sect. 1. Valquez disp. 3. cap. 2. & 3. disput. 95. cap. 2. Azor 1. p. lib. 9. cap. 5. q. 7.*

2. Difficultas autem est de humanitate. An inquam hæc humanitas vnita Verbo adoraretur eadem adoratione, ac ipsum verbum, ita ut non solum verbum, sed etiam ipsa humanitas terminus sit illius perfectissimæ adorationis? Ratio difficultatis est; quia humanitas non est Deus. Ergo non est digna latria adoratione, quæ solum Deo competit.

Dicendum tamen est cum communi omnium Catholicorum sententia, humanitatem verbo coniunctam terminum esse adorationis latriæ. Sic *Suar. Valquez, Azor, & alij* apud ipsos. Colligitur ex *Trident. Sess. 13. c. 4. & can. 6.* Vbi latria adoratione dicitur venerandum esse sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sed Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non est Deus, sed Deum continet. Ergo licet humanitas non sit Deus; quia Deum continet, adoratione latria adoranda est. Ratio est: quia adorans personam aliquam excellentem, adoratur, seu coadoratur quidquid illius est; adorat inquam pedes, caput, manus, &c. quia illius sunt, etiam in pedibus, capite, & manibus non sit formaliter dignitas, & excellentia, quæ personam reddit adorandam, sufficit, si partes sint illius personæ, illique coniunctæ: Sed humanitas vnita verbo, est aliquid verbi, eique intrinsecè coniuncta. Ergo adoratur eadem adoratione, qua verbum; sicuti inquit *Damasc. lib. 3. de fide. c. 8. & lib. 4. c. 3.* cum ferrum ignis fugis propter ignem, non solum ignem, sed ferrum fugis, sic cum humanitatem deificatam adoras, non solum deitatem, sed humanitatem ipsam propter Deitatem sibi coniunctam adorare debes. Et ex his soluitur ratio dubitandi. Concedo humanitatem non esse Deum; ac proinde ratione sui non adorari adoratione latria; coadorari tamen hac adoratione; quia continet Deum, illique est vnita.

Quod si obijcias. Ergo humanitati vnitæ verbo offerri poterit sacrificium. Respondeo negando consequentiam. Ratio differtentia hæc est; quia sacrificium est prolatio supremi dominij, in eo cui offertur: cum autem humanitas vnita verbo non sit primum principium vitæ, & mortis, ei nequaquam offerri poterit sacrificium. Esto, verum sit per communicationem idioma tum homini sacrificium offerri. At adoratio non tantum sit personæ, sed ratione illius omnibus eius partibus; ac proinde latria adoratio humanitati conuenire potest, etiam si sacrificium non conueniat; sicuti magis Christi latria adoratione colitur, non tamen colitur sacrificio.

3. Maior autem est difficultas, An ipsa humanitas vnita verbo non solum eadem adoratione, qua verbum adoratur, sed possit alia adoratione inferiori adorari? Ratio difficultatis est; quia humanitas vnita verbo non solum habet excellentiam verbi, sed etiam excellentiam vnionis, quæ excellentia vnionis inferiori est verbi excellentia. Ergo si humanitatem adores ob illam vnionis excellentiam, à verbi excellentia præcisam, non latria, sed dulcia, vel hyperdulcia adoratione adorabis. Hanc autem fieri præcisionem non est impossibile neque inconueniens, cum solum in intellectu, & in affectu adorantis consistat. Ergo Item humanitas vnita verbo habet gratiam charitatis reliquasque virtutes; sed propter has Sancti digni sunt adoratione. Ergo etiam humanitas Christi propter illas tantum adorari potest. Et confirmo. Propter has virtutes præcipue laudari, & honorari humanitas potest, distincto honore, & laude, quo diuinitas honoratur, & laudatur. Ergo etiam adorati distincta adoratione potest. Item humanitas, licet si verbo coniuncta, non tollit, quoniam sit quid creatum, & deitate inferiori, ob quam rationem potest pro nobis interpellare apud Patrem. Ergo etiam poterit sub hac ratione, distincta adoratione coli: sic tradit *Suar. Tom. 1. de incarnat. disputat. 53. sect. 2. encl. 2. & 3.*

Bonacina disputat. 3. circa primum Decalogi Præcept. p. 2. numero 5.

4. Dicendum tamen est decenter humanitatem Christi adorari non posse alia inferiori adoratione, quam latria, sic multis testimoniis Conciliorum, & Patrum firmat *Valquez, de Adorat. lib. 2. tota disp. 4.* Et quidem si humanitas adoratur, ex eo quod apprehendatur vnitam esse verbo, videtur impossibile alia inferiori adoratione, quam verbo adorari; quia tunc adoratur ob dignitatem, quam à verbo accipit; sed dignitas à verbo accepta reddit illam adorandam adoratione latria. Ergo. Si autem humanitas Christi non ex apprehensione vnionis ad Verbum adoratur, sed ex apprehensione gratiæ, charitatis, reliquarumque virtutum, quas habet; tunc eisi possit inferiori adoratione, quam latria adorari, at non videtur decens; quia non decet eum qui multis titulis honorari potest Ducis; Comitibus, & Regis, inferiori titulo Ducis honorare, relicto excellentiori titulo Regis: cum humanitas Christi, non solum titulo gratiæ, & charitatis, sed specialiter titulo vnionis ad Verbum, & ob dignitatem est verbo acceptam honorari possit, non decet relicta hæc suprema adoratione inferiori assumere. Adde non videtur possibile se posse adorationem Christi ab hac suprema adoratione abstrahere. Nam cum apprehendis humanitatem Deificatam gratia habituali, reliquique virtutibus, illam apprehendis vnitam verbo, vel non; Si non apprehendis vnitam verbo; iam illa in eorum conceptu non est humanitas Christi, sed est quasi à verbo separata, cui non debetur latria adoratio, sed dulcia, vel hyperdulcia. At certe non decet illam sic apprehendere, quia non docet hanc nobilissimam substantiam, sine maxima eius dignitate concipere. Si autem illam apprehendis vnitam verbo, necessarium est, ut apprehendas verbo deificatam; ac proinde dignam latria adoratione. Ergo non poteris illi eam adorationem denegare.

5. Ex quibus sit satis difficultati in princ. positæ. Ad confirmationem concedo laudem, & honorem humanitati ratione gratiæ habitualis exhiberi posse, distinctum ab eo, qui ei exhibetur ratione vnionis ad verbum: quia non est inconueniens quemlibet laudare ob quamlibet illius singularem excellentiam; quia ipsamet excellentia est, quæ præcipue laudatur. At secus est in adoratione, quæ ad personam ipsam directè terminatur, non ad gratiam, & charitatem, aliisque virtutes: hæc enim omnes non adorantur, sed reddunt suppositum adoratione dignum: cum autem ex illis; & ex vnione ad verbum humanitas reddatur digna adoratione, efficitur sanè non multiplici adoratione sed vna perfectissima esse adorandam, idem est de oratione, quæ ad solam naturam rationalem terminatur: petere enim ab humanitate Christi possumus, ut interpellet nos nobis ad Patrem; quia est distincta à Patre natata. At non possumus eam distincta adoratione adorare ab ea qua Pater, Filius, & Spiritus sanctus adorantur quia Deificatur persona Filij, eiusque diuinitate, ratione cuius adoratione est digna.

PUNCTUM III.

Qua ratione homines, & Angeli adorandi sunt.

- 1 Angeli, beati, & homines Sancti adorari possunt.
- 2 Proponitur obiectio, & sit illi satis.
- 3 Adorantur adoratione diuersa ab ea, qua adorantur Duci Magistratus, alique in potestate humana constituti.
- 4 Sanctorum adoratio ex virtute distincta à religione, qua colitur Deus, & qua voluntur homines ob civilem dignitatem prouenit.
- 5 Sanctissima Virgo eadem virtute, qua colitur Sancti, colitur.
- 6 Proponitur obiectio, & sit illi satis.
- 7 Qua certitudo habenda est de sanctitate illius, qui adoratur, tum publico, tum privato cultu.
- 8 Quid liceat tibi facere cum eo, quem Sanctum reputas, tamen si canonizatus non sit.

1. **D**E fide est se posse beatos, & homines Sanctos, siue in hac vita existentes, siue vita functos adorare. Constat tum ex pluribus locis factæ Scripturæ, vbi referunt, tum Angelorum homines Sanctos fuisse laudabiliter adoratos, tum ex pluribus definitionibus Conciliorum, præsertim Niceni, 2. *Athanas. & 6. r. 6.* & *Trident. Sess. 25. de innocat. Sanctorum*, tum ex multis Patrum testimoniis exornat *Caasif. lib. 5. de beata Virg. d. c. 14. Valquez de adorat. lib. 1. disp. 5. cap. 2. Suar. 2. in 3. part. disp. 42. sect. 1.* Ratio est manifesta; qui fundamentum adorationis, seu submissionis, est dignitas personæ adoratæ. At Angeli, beati, & homines Sancti habent excellentissimam dignitatem, quæ illos amicos Dei & regni cælestis hæredes, seu possessores constituit. Ergo sunt perfectissimè adorandi.

2. Neque obstat sæpe in Scriptura dici solum Deum esse adorandum, *Deut. 6. & Matth. 4.* Dominum Deum tuum adorabis & illi soli serues: ad *Rô. 1. & 1. ad Timoth. 1.* Soli Deo honor, & gloria, &c. quia loquitur Scriptura de adoratione latriæ, quæ summa, suprema, & diuina excellentia recognoscitur: hæc enim Sancti non competit, sed alia longè inferiori, iuxta inferiorum eorum dignitatem

ratem. Quod si virgeas, hanc inferiorem adorationem noluisse Sanctos viros aliis præstare, nec sibi permittere, vt constat ex *Esph. 3. & 13.* vbi Mardocheus noluit genuflectere Aman, & Petrus prohibuit Cornelium sibi adorare volentem, *Act. 10.* & Paulus, & Barnabas prohibuit Ioannem, ne ipsum adoraret, & quidam Angelus prohibuit Ioannem, ne ipsum adoraret. Ergo signum est convenientem non esse hominibus, & Angelis adorationem. Facilis est horum solutio, Mardocheus enim noluit genuflectere Aman, ne videretur homini, honorem Deo debitum deferretur enim mos ludæus nullum alium præter Deum continuo honorare, genuflectione, vt tradit Azor *lib. 9. c. 10. q. 3.* Aman ergo non semel, aut iterum postulabat hunc honorem, sed continuo: noluit ergo Mardocheus sic continuo honorare, ne scandalum præberet, & ne diuinum cultum ad hominem transferre videretur. Petrus verò ex modestia honorem alioquin sibi conuenientem recusauit. Paulus item, & Barnabas adorationem illam recusauit, quia Lycaones tanquam Ethnicis, & Gentilibus adorationem Deo debitam, illis præstare volebant. Angelus autem adorationem Ioannis recusauit, tum ex vrbaniitate, tum vt indicaret, quanti ab Angelis humana natura post verbi assumptionem æstimabatur, & præcipue quanti sacerdotes, Apostoli, & Deo charissimi æstimari debeant.

3. Difficultas tamen est, que adoratio Sanctis, & Angelis competat, & ad quam virtutem pertineat?

Et quidem beatis, & Sanctis competere adorationem specie distinctam ab ea, quo honorantur Duces, Magistralis, Reges, alique in dignitate, & potestate humana constituti, videtur hac ratione manifestum; quia sanctitas, & beatitudo est dignitas superioris ordinis, & rationis qualibet alia dignitate, humana, & politica; sed fundamentum adorationis est dignitas personæ adorate. Ergo adoratio Sanctis competens est superioris rationis ab ea que competit hominibus potestate humana gaudentibus: sic pro certo supponit Suarez *1. 1. in 3. p. disp. 52. sect. 3. in princ. Valq. lib. 1. disp. 5. c. 2. & seqq.* Hinc fit adorationem, que hominibus ob dignitatem humanam tribuitur esse cultum ciuilem, que verò Sanctis ob eorum sanctitatem conceditur esse cultum religiosum, & factum; quia affinis est cultui facti, & religioso, quo Deus honoratur, & ab eo originem ducit; tum quia eisdem rebus, quo Deus honoratur, honorantur sanctis Templis nimium, Canticis, Hymnis, Psalmis, Ium naribus altaribus, &c. vt optime dixit Damascen. *lib. 4. cap. 10.* Tum quia ad pietatem pertinet, tum quia deuotionem excitat, tum quia mouet Sanctos, vt pro nobis intercedant, ac denique bonum spirituale animæ maxime auget. Suarez *supr. vers. 10.* Valquez *supr. adic. c. 2. & disp. 6. cap. 1. in fine* Lessius *lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 24.*

4. Ad quam autem virtutem hic cultus pertineat? variant Doctores. Alij dicunt ad religionem pertinere. Quia non est inconueniens eadem virtute honorari Sanctos, vt Dei amicos, ac ipsi Deus honoratur: sicut non est inconueniens eadem charitate Deum, & proximum diligere. Alij e contra dicunt pertinere ad virtutem obseruantie, qua homines honorantur; quia obiectum huius virtutis est dignitas creata. Quilibet ex his sententiis suos habet patronos, vt ex Doctores istam referendis constat. Mihi probabilius videtur specialem virtutem esse constituendam distinctam à religione, quia colitur Deus, & quia homines ob ciuilem dignitatem coluntur: sic optime probat Valquez *lib. 1. de ador. disp. 6. cap. 1. & sequent.* Suarez *disp. 52. sect. 3. vers. quarto.* Lessius *lib. 2. de instit. cap. 26. dub. 3. num. 22.* Quod debeat ad huiusmodi cultum virtus à religione distincta constitui, tradit expressè D. Thom. *communiter receptus, 2. 2. quæst. 81. 102. & 103.* & probatur illa efficaci ratione; quia dignitas increata, & creata sunt omnino diuersa. Postulant ergo diuersa virtutes adorari, Neque obstat eadem charitate Deum, & proximum amari; quia hoc tantum verum est, quando proximus non proprie fit, & propter suam bonitatem amatur; sed propter Deum, & Deus in ipso, quod sæpe contingit. At si proximus ob bonum, quod habet, ametur, quia bonum illius est; non ad charitatem, sed ad aliam virtutem misericordie, seu beneficentie pertinet. Sic dicendum est in adoratione. Si enim Sancti non ob dignitatem, quam ex sanctitate participant colantur, sed quatenus templa Dei sunt, & in illis Deus complet; ita vt proxima, & formalis ratio adorationis, diuina excellentia sit, & non creata dignitas in illis existens, tunc certe illa adoratio ad virtutem religionis pertinebit, sicuti pertinet adoratio imaginis Dei: sed quia hæc adoratio periculum habet, tamen fieri possit, deo consulto D. Thom. & omnes, ab illa abstinere, quod periculum in amore nullo modo cernitur, ac proinde amor Dei, & proximi regulariter ad eandem virtutem pertinent; adoratio verò Dei, & Sanctorum regulariter ad diuersam. Deinde adorationem Sanctis exhibitam ad diuersam virtutem pertinere ab ea, ad quam pertinet adoratio politica, & ciuilem, eodem fundamento probatur; quia ciuilem dignitas est inferioris rationis dignitate supernaturali sanctitatis, & beatitudinis. Ergo non potest sub eadem ratione obiectiua virtutis contineri; ac proinde dicendum est, Sanctorum adorationem ad diuina, seu pietatem pertinere, adorationem verò politicam, ad obseruantiam virtutem.

5. De beatissima Virgine est nonnulla difficultas, an coli debeat adoratione ad religionem pertinente? Et ratio difficultatis

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I. I.

est; tum eius perfectissima sanctitas, tum prærogatiua matris, ob quam Deo eir præ omnibus coniuncta. Cæterum dicendum est, eadem virtute, qua coluntur Sancti, & ipsam coli, quia eius dignitas procedens à gratia, & charitate, reliquisque virtutibus tamen perfectissima sit, non est diuersa rationis à dignitate reliquorum Sanctorum, sed propter hanc dignitatem præcipue beatissima Virgo honoratur, potius quam ob dignitatem maternitatis, iuxta illud *Luc. 11.* vbi mulieri laudanti matris dignitatem, & dicenti. Beatus venter, qui te portauit. Respondit Christus, quinimo qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Ergo si ob dignitatem à gratia, charitate, reliquisque virtutibus acceptam non debetur adoratio diuersa speciei ab ea, quæ debetur re ipsi Sanctis, neque etiam ob dignitatem matris. Item dignitas matris non est dignitas increata, & infinita, sed est dignitas creata, finita, & inferior dignitate Filio. Ergo non potest eadem adoratione coli, qua Filius adoratur, vt rectè expendit S. Thom. *3. p. quæst. 25. art. 3. ad 2.*

6. Dices sanctissimam Crucem propter contactum ad Christum adoratione laetia venerari. Sed beatissima Virgo præfilius Christum tetigit, illique fuit coniuncta. Ergo propter hanc conjunctionem adoratione læticia veneranda est. Respondet cum D. Thom. *supr. Azor lib. 9. cap. 5. fin. & cap. 7. q. 3.* Bonacina *disp. 3. de ador. q. 1. p. 3. num. 6.* negando consequentiam. Nam Crux, reliquæque res inanimata nullam aliam dignitatem habent, præter relationem ad exemplar, & prototypum; ac proinde illi, adoratis prototypus, & exemplar adoratur, Beatissima verò Virgo ex illa diuina conjunctione cum Filio dignitatem intrinsecam habet, ob quam honore, cultu, & adoratione digna est. Non igitur hac omnia adoratione, illa tantum adoratio extrinseca Filij exhibenda est, tamen fieri possit. Alias etiam Sancti, quia sunt domestici Dei, & illius amici, ad ipsamque referuntur, adorandi essent adoratione læticia, quod nullo modo admittitur. Tum ne detur occasio errandi, & intelligendi eos dignos in se esse cultum adoratione, vel nullam aliam dignitatem habere adoratione dignam, præter illam relictam. Tum quia præstat quemlibet ob propriam, & intrinsecam excellentiam honorare, potius quam ob alienam.

7. Sed inquires, quam certitudinem habere debes de sanctitate alicuius, vt illum tanquam Sanctum, & Dei amicum veneris.

Distingendum est de cultu publico, & priuato: si priuato cultu illum venerari vis, sufficit, si tibi prudenter persuadeas Sanctum esse: at si cultu publico eum colere intendis: debet tibi ab Ecclesia eius sanctitas proponi, vel canonizatione, vel beatificatione, vel generali approbatione, que his æquiualeat iuxta text. in *cap. fin. de Relig. & venerat. Sancto.* Sic Suarez *disp. 52. sect. 3. post medium, vers. respondetur in fin.* Valquez *lib. 1. de ador. disp. 5. in fin. numero 167.* Bellarm. *lib. 1. de Sanctis, cap. 10. Sanch. in sum lib. 2. cap. 43. num. 3.* Bonac. *disp. 3. de ador. q. 1. punct. 1. num. 2.* Azor *1. p. lib. 9. cap. 7. q. 9.* Publicus cultus ille dicitur, qui ab Ecclesia est constitutus, & nomine eius fit. Bellarm. *lib. 1. de Sanctis, cap. 10. Sanch. lib. 2. cap. 43. num. 3.*

8. Hinc inferret licere tibi (si absit scandalum) viri, quem Sanctum reputas, tamen canonizatus, nec beatificatus sit, osculari pedes, orationem fundere, imaginem eius depingere, & in cubiculo habere, diem mortis eius, vt festiuum ferere, vigiliam ieiunare; quia hic cultus priuatus est, non publicus. Non tamen licet tibi altare erigere, sacrificium in eius honorem offerre, in Letaniis etiam priuatum dictis nominare, eius imaginem in altari etiam priuato, vel Ecclesia collocare (nisi forte constet collocari ad solum ornatum, non ad venerationem) quia hæc omnia cultus sint publici ab Ecclesia instituti ad Sanctos canonizatos, vel beatificatos venerandos: Sic Sanch. Bonac. & Bellarm. *supr.* & constat ex Trident. *sess. 25. de inuocat. Sanct.* & notat ibi in remission. Barbola *vers. ollam in solitiam ponere.* Fit secundo, neque gubernatori ciuitatis, neque Episcopo licitum esse publicum votum, ieiunium, aut diem festum instituire in honorem Sancti, qui, vt talis à Summo Pontifice approbatus non sit, quia sicut publicam approbationem Sanctorum sibi Pontifex reuertit, ex consequenti cultus publicus illam supponens reuertitur est, *cap. 1. de relig. & venerat. Sancto.* Si tamen sanctus approbatus sit à Pontifice, poterit Episcopus ieiunium, votum, & festum publicum instituire iuxta *cap. fin. de feris, & cap. 1. de conse. rat. disp. 3.* Sic Sanch. Bonac. Bellarm. *supr.* Barbola alios referens, *3. part. alleg. 105. n. 36.*

PUNCTVM IV.

Qua ratione liceat imagines Dei, & Sanctorum adorare.

1. *Vnus sacrarum imaginum est sanctissimus.*
2. *De imagine Trinitatis, & Angelorum proponitur dubitatio, Sed illa non obstant firmatus illorum usus.*
3. *Eadem adoratio imaginis, & ei cuius est imago debetur. Diuerso tamen modo.*

- 4 Proponitur obiectio. Et sic illi satis.
 5 An demon sub imagine Crucifixi apparens adorari possit.
 6 Ea que Christum tetigerunt adoranda sunt, sicut eius imago.
 7 Proponitur obiectio. Est illi satis.
 8 Instrumenta assumpta ad representanda passiones instrumenta ex hac practica ratione non sunt adoratione digna.
 9 Quae pena imposita sit imaginibus conculantibus.

Nemini Catholicorum dubium esse potest sanctissimum esse sacrarum imaginum usum, ipsaque esse adoranda, & veneranda, ut multis adversus haereticos nostri temporis defendit Azor. 1. p. lib. 9. cap. 6. g. 4. Valq. 100. lib. 2. de adorat. Suarez in 3. p. q. 2. 5. disp. 54. per septem sectio. Bellam. in disp. fidei Cathol. controu. 7. lib. 2. & alij plures, quos refert Barbosa in remiss. Concil. sess. 2. 5. decret. de venerat. S. mitor. Constatque ex usu, & praxi totius Ecclesiae, quae imagines Sanctorum excoluntur, amplectitur, coram illis procumbit, caput aperit, orationes fundit; non quod in ipsis credat inesse aliquam diuinitatem, vel virtutem, propter quam sint colende, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in imaginibus ligenda, veluti olim fiebat à Gentibus, qui in idolis suam spem collocabant, sed quoniam honos, qui in eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illa representant; ita vt per imagines, quas excoluntur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudines gerunt, veneremus: Sic Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. Neque obstat Exod. 20. & Deut. 4. Obserua ergo teipsum, ne forte deceptus facias tibi vllam similitudinem, Isai. 40. & 46. Cui similem scilicet Deum aut quam imaginem ponitis ei? Non, inquam obstat haec verba, vt ex illis inferatur omnem imaginum usum nobis prohiberi esse: tum quia si de imagine Dei sit sermo, & non de idolorum simulachro, illud praecceptum non erat iuris naturalis, sed ad summum positum scilicet respectu illius populi Iudaici: eò quod ad idololatiam erat propensus: quod praecceptum morte Christi abrogatum est, sicut alia caeremonialia, & iudicialia praeccepta. Tum quia, non vtrunque imago Dei prohibetur, sed quae assumitur ad representandum ad viuam Deitatem ipsam, vel eam, quae pro vero Deo coleretur, ac si in ea aliqua diuinitas, virtus, & efficacia inest. Adde, vt aliquibus placet, non videri imaginem Dei, & Sanctorum ibi prohiberi; sed tantum imaginem inanem, & fallorum Deorum, quales haec cum Deo comparanda sit.

Solum de imagine Dei, Trinitatis, & Angelorum est aliqua dubitatio: An tunc haberi, & coli possit? Ratio dubitationis est; quia Spiritus imagine corporea, & materiali representari non potest. Ergo non potest esse illius imago. Secundò, datur occasio errandi imperitis, qui existimant Deum, & Angelos esse, qualiter per imagines representantur. Nihilominus retinendus est harum imaginum vsus, tum quia ab Ecclesia est communitè permittitur, vel potius approbatus, tum quia in septima Synodo generali, quae est Nicena, 2. Actio. 5. 5. decisum fuit retinendam esse usum Angelos, & Spiritum sanctum depingendi: & idem est de reliquis personis Trinitatis sanctissimae. Tum quia non depinguntur, vt nobis representent sic esse, sed vt nobis representent sic apparere, & cuius qualitates, & virtutes sint, quod satis indicauit Trident. sess. 25. cap. 2. dum dicit: Si aliquando historias, & narrationes sacrae Scripturae, cum id indocta plebi expediat, exprimi, & figurati contingit, doceatur populus non propterea diuinitatem figuratis quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Vnde cum Pater aeternus depingitur senex, est; quia sic Daniel. 7. Vultus est; Filius in eius pectore consistens, quia ab illo est genitus, Spiritus sanctus sub specie columbae, quia sic dignatus est se nobis ostendere. Angeli autem depinguntur tanquam iuuenes, non quia sic existant, sed quia sic saepe appaerunt, & vt indicetur eorum vitam nunquam senescere. Depinguntur alati ad indicandam eorum celeritatem in exequendis diuinis mandatis, & in albis vestibus propter eorum integritatem, puritatem, & innocentiam, vt optimè expendit Azor. 1. part. lib. 9. cap. 7. quae. 2. & 3. Valquez 3. p. quae. 2. 5. disp. 103. & de adorat. lib. 2. disp. 3. num. 44. 61. & seqq. Bellam. 1. 2. controuers. 4. lib. 2. cap. 8. Et ex his soluitur ratio dubitandi. Concedo enim imaginem assumi non posse ad representandam Spiritum in se; teneri tamen, vt saepe ostensus est, & per quandam metaphoram ad eius virtutes, & conditiones indicandas. Aduertendum tamen est in harum imaginum vsu, quod prudentissimè Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. animaduertit: nempe, vt nulla illi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuatur, nullaque prociaciu venturate depingantur, aut ornentur, ac denique nihil in illis sit inordinatum, nihilque profanum, nihil praeposterum, inhonestumque appareat, cum istum sit representationes cum rebus representatis omnino conuenire.

Sed inquires: Primò, quae adoratio imaginis Dei, & Sanctorum debeat? Respondeo eandem adorationem, quae debetur ei, cuius est imago, diuerso tamen modo: nam Deo, & Sanctis debetur adoratio vt personis, quae per se adoratione di-

gnae sunt: Imaginibus verò non debetur adoratio ob excellentiam aliquam, & virtutem, quam in se habent, & propter quam adoratione dignae sunt; sed quia referuntur ad Deum, & Sanctos, illisque representant. Quare cum ratio adorandi imaginem sit excellentia representata, eadem adoratione adoranda est, ac adoratur representatum: Sic Azor. 1. part. lib. 9. cap. 6. quae. 5. Bonacina dispensatione 3. quae. 1. punct. 3. numero 9. multis relatis Valquez lib. 2. de adorat. dispensatione 8. cap. 3. & sequentibus. Lessius lib. 8. cap. 36. dub. 3. num. 19. quia representatum ipsum in imagine adoratur, & per imaginem Deum, & Sanctos representatos adoramus; quia illos cum imagine in nostro intellectu, & affectu coniungimus.

Dices imaginem in se habere aliquam excellentiam, ob quam veneratione digna sit. Est enim ad representandum Deum, & Sanctos instituta, ac proinde sacris vrbibus dedicata. Ergo ratione huius dedicationis, & representationis honore digna est. At non est digna eodem honore, ac est prototypus; quia haec dignitas representationis est distincta à prototypo, & prototypi dignitate multo inferior. Ergo. Facitque septima Synodus generalis, quae est Nicena, 2. Actio. 7. vbi instituitur Crucem, & imaginem Christi non latra adoratione coli; sed alia multo inferiori. Exemplòque humano id fieri potest manifestum. Legatus enim Regis, & coli potest eodem honore, quod Rex, si Rex in Legato honoretur, & alio inferiori, quatenus in se dignitatem Legati habet, ob quam dignitatem honore specialiter dignus est: sic videtur dicendum in imagine duplici honore esse colendam, alio respectu, qui sit idem honore cum honore prototypi, alio absoluto, qui in ipsa imagine aliter potest excellentiam, quam in se habet, licet illa excellentia ad prototypum referatur, & ab eo pronuncietur.

Respondeo negando imaginem habere aliquam excellentiam in se, ob quam digna sit adoratione, & veneratione à prototypo distincta. Tum quia Trident. expressè dixit, in imaginibus nullam inesse virtutem, ob quam ipse coli debeant. Tum quia adoratio est submissio nota persone excellenti exhibita ex affectu illum, vt superioriorem recognoscendum; quòd rebus inanimatis, & irrationabilibus nequaquam potest conuenire; non enim rei inanimatae secundum se te submittere potes; quia semper illa superior est. Quod non procedit in Legato Regis. Nam ipse Legatus ratione Legationis constituitur tui superior, & dignus speciali honore, & veneratione: at imago ob representationem non constituitur tui superior, cum semper sit res inanimata, & irrationalis, ac proinde nunquam per se digna est submissione, & seruitutis nota. Est ergo cum exemplari adoranda, & non aliter. Cum autem septima Synodus imaginem Christi denegat adorationem latram, distinguunt inter submissionis notam, & affectum huius submissionis, & seruitutis, & submissionis notam dicit per se ad imaginem referri, quia ipsi procumbimus, humiliamur, &c. effectum verò submissionis ad ipsum Deum non ad imaginem terminari: at quia ex submissione, & affectu integra ratio adorationis coalescit, fit eadem adoratione Crucem, & Christum adorari. Eadem, inquam ex parte submissionis, submissio enim ad Crucem terminatur, affectus ad prototypum, cui affectus ex sententia Concilij adoratio latra competit, ideoque dicit adorationem latram Crucem non pertinere, vt latissime expendit haec omnia Valquez lib. 2. de adorat. 100. disp. 8. Idem quod dictum est de imagine Dei, Christi, & Sanctorum, dicendum est de eorum nominibus, esse quidem adoranda eadem adoratione, ac adoratur prototypus, quia non ratione sui, sed ob excellentiam exemplaris, quod representat, & in cuius cognitionem nos docent, adoratur. Sic Azor 1. p. lib. 9. cap. 8. quae. 12. Bonacina disp. 3. de adorat. p. 3. in fin. Valquez lib. 2. de adorat. disp. 8. cap. 10. Suarez 2. in 3. disp. 56. sect. 5.

Inquires secundò, an si demon sub imagine crucifixi tibi appareat, possis adorare? Clarum est non licere, si dubius es, esse demonem; quia neminem potes adorare, nisi cum morali certitudine esse dignum veneratione. At si probabiliter existimes veram Dei apparentiam esse, adorare poteris: sic optimè expendit Valquez lib. 3. de adorat. disp. 1. cap. 5. Bonac. disp. 3. q. 17. 1. 2. 5. Cautè tamen debes procedere ne decipiaris: saepe enim deceptio in his apparitionibus contingit, & demon in Angelum locis se transfiguratur. Quapropter probabilis credo non licere sic representatum adorare absolute, nisi sub conditione expressa, si tu es Christus, Deipara, vel Sanctus: quia haec apparitiones, tam à bono Spiritu, quam à malo fieri solent. Ergo vt videretur morale periculum errandi, apponi debet conditio: sic relato Aristodori. Bonac. Marfil. Gabr. Syluest. Armilla, & alii docent Azor 1. p. lib. 9. cap. 9. quae. 11. Secus verò contingit in adoratione Hostiae, quam eleuat Sacerdos; quia in ipsa non est morale periculum errandi cum abique temeritate iudicare non possis consecratam non esse, ideoque necesse non est expressam conditionem apponere, sufficit tacitam habere, quae consistit in eo, quòd eo animo, & affectu sis, vt nequaquam Hostiam adorates, nisi putares consecratam esse: sic pluribus rebus firmat Azor. quae. 10. Valquez in 3. p. disp. 110. cap. 15. Bonac. disp. 3. de adorat. q. 1. p. 2. n. 7.

Inquires Tertio, an ea, quae Christum Dominum tetigerunt, vt Crux, clauis, lancea, Ipinæ, adoranda sit adoratione latrae, sicut eius imago adoratur? Et generaliter, an ea, quae

Sanctos tetigerunt adoranda sint eadem adoratione, qua eorum imagines adorantur? Affirmative respondeo cum D. Thom. communiter recepto. 3. part. quaest. 25. art. 4. Azor. 1. p. lib. 9. c. 5. q. 9. Valquez de ador. lib. 3. disp. 1. cap. 2. Ratio est manifestata; quia sicut imaginem ratione representationis cum prototypo coniungimus, & ob eandem causam in illa prototypum adoramus, ipsique reuerentiam exhibemus, sic rebus quibuslibet inanimatis, quae Christum, & Sanctos tetigerunt ratione contactus, reuerentia, & honor exhiberi potest.

9 Dices, si hoc verum est, etiam asinum, quae Christum portavit adorandum esse si videret, item manus impiorum flagellantium, & percutientium Christum. Respondeo negando consequentiam, & primo de asina id non decet; quia videretis asinam ob aliquam excellentiam illius honorare. De manibus autem impiorum, id est, omnino negandum; quia non religiosae, sed impiae, nefariae, contumeliosae Christi Dominum tetigerunt; ac proinde non adorandas, sed potius execrandas sunt. Secus vero dicendum est de instrumentis mortuis, & separatis. Item si manus illas impias coleres, indicares irrisiones, & vulnera ab illis Christo facta tibi placeret.

8 Quarto, inquires, an quilibet Crux, & quilibet instrumenta, quae ad representanda Christi instrumenta efformantur, digna sunt adoratione; Respondeo sub hac ratione praecise digna non esse; quia illud est dignum veneratione, & cultu, quod coniungitur cum re animata, & rationali cultu, & veneratione digna. At haec instrumenta secundum hanc rationem non coniunguntur cum Christo, sed cum eius passionis instrumentis inanimatis, quibus nullus per se cultus debetur. Ergo sic cum D. Thom. 3. p. q. 25. art. 4. tradit Azor. 1. p. lib. 9. c. 6. q. 9. Bonac. disp. 3. de ador. q. 1. p. 3. n. 8. Aduerto tamen supra haec instrumenta efformari ad representandam Christi passionem, & tunc veneratione digna sunt; quia sunt imagines Christi pro nobis passificae. Suarez 3. p. q. 25. disp. 56. sect. 2. & Bonac. supra. Est tamen inter Crucem, & reliqua instrumenta haec differentia, ut dixit D. Thom. supra relatus, quod Crux semper assumitur non solum ad representandam Crucem, in qua Christus pendit, sed etiam ad representandum ipsum ibidem pendentem. Alia autem instrumenta ratio ad representandum Christum passum assumuntur; ac proinde cuiusque Crucis semper latius honor debetur, secus aliis instrumentis Azor. 1. p. lib. 9. cap. 6. q. 2.

9 Quinto inquires, qua poena afficiendi sunt, qui imagines contemnant, irident, aut male tractant? Respondeo nullam in iure statutam esse: arbitrari tamen poterit poenam iudex pro qualitate delicti, iuxta text. in c. si Canonici, v. ult. iuncta gloss. penult. de officio ordinarij in 6. Flagellis, vel exilio, vel amputatione manus: sic Doctores statim referendū si iniuria publica sit, & nimis scandalosa, poterit reus poena mortis puniri: sic ex Angelo, in Lex Senatus consulto, ff. ad l. Cornel. de Sycariis, affirmat Menochius lib. 2. de arbit. casu 376. an 3. Farinac. 2. part. Praxis quaest. 20. a num. 68. Azor. 1. p. lib. 9. c. 7. quaest. 4. & alij apud ipsos. Hoc delictum est mixti fori, poterit iudex Ecclesiasticus, & secularis ad praevencionem cognoscere. Quia delinquens aduersus religionem omnibus iniuriosus existit, iuxta l. Manichaeos, C. de Haereticis. Item censores fidei possunt in eum tanquam de haeresi vehementer suspectum animaduertere, ut bene tradit Simanch. de Carbolis. instit. tit. 33. num. 17. Azor. dicta quaest. 4. Farinac. de haeresi quaest. 178. n. 53.

PUNCTVM V.

An licitum sit templa, & altaria in honorem Sanctorum erigere, vota illis fundere, festa statuere?

- 1 Altaria, & templa in honorem Sanctorum dicantur.
- 2 Dies festi Sanctis dicantur.
- 3 Vota Sanctis fundimus.

1 Azor. 1. p. lib. 9. c. 10. quaest. 8. probat optime à principio nascentis Ecclesiae templa, & altaria Deo dicantur, in Sanctorum tamen honorem, & venerationem, cedit enim in magnum Sanctorum honorem, si ob eorum respectum, templa, & altaria erigas Deo, ibique Deo sacrificia offeras. Quapropter ratione huius respectus dicitur templum Sanctis esse dedicatum. Non quia in ipso templo, & altari sacrificium Sanctis fit offerendum, cum soli Deo sacrificari possit: sed quia in memoriam, & recordationem Sanctorum, & in eorum honorem Deo sacrificandum fit. Item dicantur templa Sanctis tum ad ferendas eorum reliquias, tum ut gratiores sint nostrae preces ibi factae, tum ut facilius ibidem exaudiantur. Tum et suis precibus, & meritis, quae illis in loco specialiter reuocent nos prodeant, & defendant.

2 Item dies festos Sanctis dicamus. Tum ut eos honoramus. Tum ut eorum virtutes, & gesta celebremus, tum ut facilius eorum patrocinium consequamur. Deinde vigilias habemus, & institimus in eorum honorem ob eandem rationem: cupimus enim eorum meritis, & vigilias nostras vigilias Deo acceptas fieri.

3 Vota deinde Sanctis fundimus, non quia ipsis directae fiant, sed quia sunt Deo in Sanctorum honorem, quos cupimus, tum testes habere nostrae promissionis, & obligationis, tum patronos, qui nobis impetrent gratiam ad promissa exequenda. Cum vero votum est de materia, quae specialiter cedit in honorem Sancti, ut si Beatae Virgini, Petro, Francisco, Ignatio promittas calicem, vestem, vel quid aliud, tunc respectu Sancti est honoraria promissio ad dulcium pertinet; respectu vero Dei est votum, quia vovet Deo promissionem Sanctis factam executuram. Sic Lessius lib. 2. c. 40. dub. 5. n. 27.

PUNCTVM VI.

De Sanctarum Reliquiarum adoratione, & cultu.

- 1 Sanctarum reliquias, & quae illos tetigerunt adoranda sunt.
- 2 Eadem adoratio ipsis datur, quae adoratur personis.
- 3 Debes tamen esse moraliter certus persona adoratur reliquias esse.
- 4 Si publico cultu veneranda sint reliquias, qualiter tibi debent esse proposita.
- 5 Mollus, quem seruare debet Episcopus in reliquiarum approbatione.
- 6 Extra diocesim potest fieri haec approbatio.
- 7 Si alio transferantur non indigent approbatione.
- 8 Corpus adorari potest uno in loco ex Episcopi approbatione, tamen si dicatur alibi esse.
- 9 Culibet licet Sanctas reliquias secum portare.
- 10 Peccatum commissum deserendo reliquias, non habet speciem necessarium in confessione manifestandam, quamuis aliqui contrarium tenent.
- 11 Licitum tibi est crucem variis reliquiis non approbatis ab Episcopo ornatae populo adorandam proponere.
- 12 Sicut reliquiis approbatus miscetur non approbatus, non licet tibi eas populo adorandas proponere.
- 13 Virgines causa debet esse, ut reliquias antiquae ex capsulis extrahantur.
- 14 Ex uno loco in alium possunt Sanctae reliquiae transferri, seruatis tamen aliquibus conditionibus.
- 15 Si pie, & religiose laicus reliquias tangat, non peccat.
- 16 Licitum, & sanctissimum est ad imagines, & sepulchra Sanctorum cereos accendere.
- 17 Pecuniam dare potes non ob videndas reliquias, sed ne illas videres, & habere impediaris.
- 18 Non est prohibitum ostendere reliquias intentione, ut elemosyna augeantur.
- 19 Accipiens reliquias ab alio possessas illo iniusto furtum, & sacrilegium committit.
- 20 Excipe nisi ab infidelibus possideantur, vel autoritate praefati, quibus illarum custodia commissa est, fiat.
- 21 Nulla poena ipso iure imposta est furantibus sacras reliquias. Excipe constitutionem Greg. de hac re.
- 22 Cereos agnos debes pedes, & religiose venerari.
- 23 Sub poena excommunicationis prohibitum est hos agnos pingere, & illuminare, & plura vendere, quam venderentur seclusa consecratione, & expensis in illorum asportatione.
- 24 Clerici in minoribus eos tangere possunt, laici si absque necessitate tangant; non videntur culpam mortalem committere.
- 25 Manente consecratione vestes, & vasa sacra vsibus profanis accommodare graue est peccatum, perdita consecratione, esto excusetur à peccato, indecens tamen est.
- 26 Vestes, vasa profana vsibus sacris applicari possunt, & quae ratione.

1 Nemini Catholicorum est dubium Sanctorum reliquias, siue partes ipsorum fuerint, ut carnes, ossa, dentes, capilli, vngues, cineres, siue res aliae, quae ipsos in vita, vel post mortem tetigerint, ad ipsosque pertinuerint adorandas, & sacro honore habendas esse: sic est definitum in Concilio Grangencan. & in septima Synodo Generali, a. 7. in Brachar. 3. can. 5. in Lateranens. c. 62. & praecipue in Trident. Sess. 25. c. 2. & multis exornat Valq. de Ador. lib. 3. disp. 3. Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. quaest. 2. Suarez in 3. p. tit. 1. disp. 55. B. luum. lib. de Sanctis, c. 1. Valent. 2. 2. disp. 6. quaest. 11. punct. 5. & 6. ibique filiola argumenta haereticorum dissoluit. Quod si inquires; an vermes, in quas corpora Sanctorum conuertuntur, adorandi sint sicut adorantur cineres. Dicendum est adpari non debere. Nam esto corpus Sancti tetigerint, & ob eam causam venerari possint; quia non vermes, sed Sancti in germibus venerantur. At indecens videtur in his rebus putridis, & foetidis, & oblectis Sanctos venerari: quia indecens esse videtur eos in illis rebus apprehendere.

dere: videremur enim vermes non Sanctos venerari: Sic Suar. disp. 55. Sect. 1. ad finem. Sanch. Sum. lib. 2. c. 43. n. 2. Valquez 3. p. disp. 112. c. 8. n. 29. Bonac. disp. 3. de Adorat. q. 1. p. 4. in prime.

1 Adoratio autem, quæ supradictis reliquiis fit, est eadem quæ tribuitur personæ, cuius sunt reliquie. Quia non adorantur reliquie propter aliquam virtutem, & excellentiam, quam habent: sunt enim res inanimatæ; ac proinde ratione sui incapaces submissionis, & honoris, sicut & contumelias, & iniuriæ. Adorantur tamen propter rationem, quam habent ad personam, cuius sunt reliquie, ac proinde in ipsis, & per ipsas sicut in imagine persona adoratur, & colitur: sic optime expendit Valquez supra, & de adorat. lib. 3. disp. 4. c. 2. Ex quo infert Christi præputium, & sanguinem reditum in terris adoratione laetitia esse venerandum non quia actu verbo vntus sit, aliquamque in se diuinitatem, & virtutem habeat; sed quia Christi pars fuit, ad ipsumque refertur. Secundò, infert eadem adoratione laetitia adorandum esse sanguinem, qui ex aliqua imagine Christi fluxit, quia ipsum Christum representat. Idem credo esse dicendum, si miraculosè sanguis appareat in Sanctissimo Eucharistie sacramento, semper enim cum Christo apprehenditur, & eadem adoratione, qua ille adorandus est. Azor. lib. 9. c. 6. 7. 3. Bonac. p. 2. fine.

3 Sed dubium est. Quæ conditiones requirantur, vt reliquias Sanctorum adorare possis. Aliquam enim conditionem requirit non est dubium, cum sæpe periculum ad sit deceptionis, venetandi inquam reliquias perdit hominis, ac si essent alicuius Sancti cum Deo in celo regnantis.

Dicendum ergo est, te certum debere esse moraliter reliquias, quas adoras veras esse, & non supposititias; quia sine hac morali certitudine imprudenter cultum, & adorationem exhiberes, & te periculo errandi exponeres. Posita autem hac certitudine morali absolute, & sine vlla conditione adorare poteris. Sanchez lib. 2. c. 43. in fine. At quia dupliciter reliquie adorari possunt, vel publico cultu, vel priuato, diuersimodè pro vtroque cultu certus esse debes: si enim priuato cultu reliquias venereris, sufficit si tibi vir pius, & religiosus eas tradiderit; quia illius testimonium te reddit moraliter certum de veritate. Et idem est dicendum de qualibet alia coniectura probabili, qua prudenter iudicare possis ita esse. Sic Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. quæst. 8. in fine. Sanchez c. 43. num. 13. Suarez disp. 55. sect. 2. Bonac. disp. 3. q. 1. p. 4. n. 5.

4 At si publico cultu eas venerari velis, debent esse prius à Pontifice, vel ab Episcopo iuxta Trident. sess. 25. c. 2. propositæ, & approbatæ. Quia illicitum est sine hac approbatione publicum cultum illis exhibere: sic Azor. Sanchez, Bonac. supra. Aduerto tamen Episcopum nullo modo posse reliquias Sancti nondum in Sanctorum numerum à Pontifice relati exponere populo adorandas, iuxta text. in c. 1. c. 2. de Reliq. & vener. Sanct. quia hæc expositio est cultus publicus ad honorandos Sanctos ab Ecclesia approbatos institutus. Nequit ergo alteri adaptari: sic ex sacra Congregatione decisum tradit Barbof. in remiss. Concil. dicto c. 2. sess. 25. Bonac. disp. 3. quæst. 1. p. 4. n. 5. Azor. quæst. 8. Suarez. iust. 2. Sanchez num. 10. c. 14. Neque in Concilio Trident. aliquid in hac parte, est immutatum, dum concedit Episcopis reliquias nouiter inventas approbare: quia id est, intelligendum de reliquiis Sancti ab Ecclesia approbati, vt bene expendit Sanch. Suar. & alij apud ipsos.

5 Si autem reliquie sint alicuius Sancti ab Ecclesia approbati, sineque nouiter inventæ, vt populo adorandæ proponantur: debent, vel à Pontifice pro illius Sancti reliquiis approbari, vel ab Episcopo seruata Trident. forma: quia vsque hæc approbatio accedat, Ecclesia certa non est Ecclesias esse veras reliquias.

6 Modum autem, quem Episcopus seruare debet in harum reliquiarum approbatione tradit Trident. sess. illa 25. c. 2. nempe vt consultat Theologos, aliòque viros pios, & illis consultis exequatur quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. In quibus verbis satis iudicatur non esse obligatum Episcopum consilio Theologorum adherere, sed illis auditis poterit ipse quod iudicauerit conuenientius exequi: sic Bonac. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. n. 6. Sanch. lib. 2. c. 43. n. 15. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit, ex tripandus, vel omnino aliqua de his rebus grauior quaestio incidat, Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitanis, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet, ita tamen vt nihil in consulto Sanctissimo Romano Pontifice nouum, aut in Ecclesia hætenus inusitatum decernatur: sic Concilium. Ecce qua ratione in hoc speciali casu conciliarem sententiam expectare debet Episcopus, priusquam controuersiam definiat. Hæc autem sententia conciliaris à maiori parte Episcoporum in concilio existentium ferenda est, quia tunc, & non aliter dicitur ferri à concilio. Sic Sanch. c. 43. n. 16. & Bonac. p. 4. n. 6.

7 Hanc verò approbationem reliquiarum poterit Episcopus extra diocesim existens facere, & licentiam concedere, vt in sua diocesi collocentur venerandæ: quia hic actus iurisdictionis est voluntariæ, non extendit: non enim inter partes inuitas exercetur: & tradit Sanch. dicto c. 43. n. 14. Bonac. n. 6. Barbof. 3. p. alleg. 97. fine.

7 Approbati tamen reliquis vel à Pontifice, vel ab Episcopo loci, in quo fuerint inuentæ, si aliò transferantur, non indigent noua approbatione Episcopi illius loci ad quem transferuntur, quia hæc absolute sunt approbatæ, nec tunc nouiter inuentæ: & concilium de nouiter inuentis, & non approbatis, approbationem requirit. Debet tamen Episcopus, antequam illas publicè venerandas permittat proponi, examinare, an illæ reliquie sint, quæ Pontificis relatio, vel diocesani Episcopi iudicio fuerint approbatæ. Sic Bonac. supra & Sanch. n. 18.

8 Ex his constat solutio illius difficultatis. An liceat tibi adorare absolute corpus alicuius Sancti, quod multi affirmant alibi esse? Si enim à Pontifice, vel ab Episcopo fuerit approbatum ibi existere, poteris adorare; quia nullo morali periculo errandi te exponis, cum prudenter opereris, secus si nulla exiit approbatio: colligitur ex Sanch. c. 43. num. 18. & tradit Bonac. num. 7. Suarez. sect. 2. Neque obstat duplici in loco idem corpus venerari ex approbatione Pontificis, vel Episcopi: quia non requiritur in vtroque loco, idem corpus integrè requiescere, sed pattem, quod sufficit, vt possit dici ibi corpus illius Sancti requiescere, vt bene notauit Azor. p. lib. 9. c. 8. q. 2. fine.

Huculc dixi de conditionibus requiritis tum in priuata, tum in publica reliquiarum adoratione. Restat satisfaciende nonnullis difficultatibus circa eius vltim.

9 Prima difficultas est. An liceat cuilibet secum portare reliquias sanctas? Respondet licitum esse, si piè, religiose, & decenter deferantur, quia hæc delatio cedit in Sanctorum cultum, & à viris piis, & religiosis fit, & nullibi inuenitur prohibitum. Nam text. qui allegatur ab Angelo contrarium, asserente verbo reliquie, num. 4. nihil probat: allegatur enim text. in c. corpora, de consecrat. disp. 1. Sed ibi solum prohibetur, ne corpora Sanctorum de loco vbi sepulta sunt, in alium transferantur sine Episcopi licentia. Item allegatur Concilium Bracharense, 3. c. 5. vbi reprehenduntur Episcopi, qui in processionebus Martyrum reliquias illorum collo supensas portabant: sed vt bene aduertunt Doctores statim referendi, non reprehendebantur ibi, quia illas reliquias gestarent, sed quia illas gestarent ob inanem gloriam, & vanam hominum ostentationem, quam intendebant, faciendo se ob eam causam in seculis super numeros Levitarum portare. Ergo cum nullo textu prohibetur hæc reliquiarum priuata delatio, affirmandum est licet, sic D. Thom. 2. quæst. 96. art. 4. ad 3. Natar. c. 11. num. 3. pluribus relatis Azor. p. lib. 9. c. 8. quæst. 6. Sanch. lib. 2. c. 40. n. 27. Suar. in 3. p. Tom. 1. disp. 55. in fine, & de relig. Tom. 1. lib. 2. de Superstit. c. 15. num. 16. Bonac. disp. 3. de Adorat. quæst. 1. p. 4. n. 7. Valquez de Adorat. lib. 3. disp. 3. c. 8. num. 15. c. 3. p. disp. 112. c. 8. num. 30. Valent. Tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 6. ad finem, & alij apud ipsos. Dixi si piè, religiose, & decenter deferat, quia id periculum probabile adfit, vt aliqua fecunditate, & obsecratione polluantur, aut turpitate violentur, illicitum erit: sic Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. quæst. 12. in fine, c. 9. q. 5. in fine. Sed dubium est, An si gestans has reliquias peieris, fueris, forniceris, vel aliud peccatum committas, habeat tale peccatum specialem deformitatem necessariò in confessione manifestandam?

10 Affirmare videtur Philite. de offe. Sacerd. tom. 1. 2. p. lib. 3. c. 9. ad finem, in vers. quarto peccat. Quia negari non potest irreuerentiam fieri reliquis Sanctis, seu potius sanctis, quoniam sunt illæ reliquie, cum ad illarum conspectum sic Deum offendas. Nihilominus probabilius cenfeo, non committi specialem grauitatem necessariò ferendam in confessione (excepto peccato, quo reliquias conculescas, vel malè, & irreuerenter tractares) sic Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. q. 6. Bonac. disp. 3. q. 1. punct. 4. num. 7. Sanch. lib. 2. c. 40. num. 18. Ratio est quia perituro, facturo, & fornicatione reliquie directè non offendantur, neque irreuerenter tractantur, dummodò in illarum contemptum peccata non fiant; sicut neque adorantur, nec coluntur, cum bona opera præstas. Est enim id nimis accidentarium, Quare est aliqualem irreuerentiam committas, non peccas, & aliqualem cultum præstas, cum bene opereris, id non est confidendum.

Prima difficultas est, An liceat tibi Crucem variis reliquiis, quæ non sunt à Pontifice, aut ab Episcopo approbatæ ornatum in altari collocare, & populo adorandum proponere?

11 Negat Bonac. disp. 3. de Adorat. quæst. 1. p. 4. n. 6. Moneatur; quia non solum Crux, sed etiam reliquie videtur proponi adorandæ, periculumque est, vt populus non solum Crucem, sed reliquias ibi existentes adoret. Ceterum probabilius cenfeo id esse licitum. Tum quia sic vsus obtinuit. Tum quia receptum est ad ornatum Crucis illas reliquias collocari, vel ad priuatum illarum venerationem. Tum quia cum Crux in altari collocatur, non reliquie, sed Crux adoranda proponitur; quod verò vnus, vel alius reliquias per se adoret, id est per accidens, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum: & ita tenet Sanch. lib. 2. c. 43. n. 17.

12 Tertia difficultas est. An si cum reliquiis approbatis miscantur alia non approbatæ, liceat tibi eas populo adorandas proponere? Ratio difficultatis est: quia si aquæ benedictæ miscetas non benedictam, & oleo consecrato miscetas non consecratum, totum remanet benedictum, & consecratum, c. quod in dubio, de consecrat. Ecclesiæ, c. ibi gloss. Quia dignus tribuit ad se minus dignum, præcipue si consecratum, & benedictum

in maiori quantitate sit. Ad dicendum est; nequaquam liceret; quia solum in liquoribus propter intimitatem eorum mixtionem illa praxogatiua conceditur, vt dixit Abbas, c. 1. de consecrat. Eccles. in fine, & ibi Antonin. num. 41. At in presenti hoc procedere non potest; quia reliquie non possunt adorari, nisi vere fuerint alicuius Sancti, neque ius positum facere potest, vt quilibet reliquie propter mixtionem cum reliquijs alicuius Sancti ad ipsum Sanctum pertineant. Ergo non potest facere, vt illae reliquie, tanquam reliquie Sancti adorentur, alijs manifestum esset periculum errandi, & adorandi reliquias perditum hominis, cum in illo mixto tam reliquie approbatae, quam non approbatae exsistant: ita tenet Sanch. lib. 2. c. 43. num. 12. Bonacin. disp. 3. quest. 1. punct. 4. num. 5. Verum hoc non tollit, quominus adorare possis illas reliquias, qua parte vere sint; quia sub hac conditione omne periculum vitatur, Sanch. & Bonacin. supra. Aduerto tamen facta illa mixtione debere omnes illas reliquias in loco decenti separari, & ibique custodiri, quia hac ratione cauetur, tum periculo temerandi veras reliquias, tum periculo adorandi falsas: Sicuti cum dubium est, an sine aliqua reliquia vera, non debent proponi adoranda, sed seruanda, & custodienda in loco decenti; vel potius reuocenter conseruanda, & in piscinam mittenda: sic Sanch. num. 12. & 19. Suar. tom. 1. in 3. p. d. l. 55. sect. 2. vers. at verum.

13 Quarta difficultas, An sit peccatum Sanctas reliquias ex capsulis, vbi reconditae sunt, extrahere, vt populo ostendantur? Respondeo peccatum esse, & forte graue, si reliquie antiquae sunt, quia ita prohibetur ab Innocent. I. l. in. c. cum ex eo de Reliq. & venerat. Sanctos. & redditur ibi ratio, ne populus adorationem detrahat, putans non esse reliquias illas Sancti, cum ita consumptae sint, sic Sanch. lib. 2. c. 43. num. 21. Verum si aliqua rationabilis, & grauis causa intercedat, & periculum destructionis vitetur, credo nullum esse peccatum. Quapropter dixit Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. quest. 7. in fine. Reliquias in Ecclesia reconditas ad agros sine iusta causa exportandas non esse, tate insinuans, cum iusta causa adest, aptas posse.

14 Quinta difficultas, An ex vno loco ad alium liceat Sanctas reliquias transferre? Respondeo ex Concilio Moguntinensi l. 1. c. 1. & refertur, in c. corpora Sanctos, de consecrat. dist. 1. si sine perpetua sepultura tradita, non posse sine consilio principis, vel Episcopi diocesani, sanctaeque Synodi licentia. Excepe nisi necessitas urgeat belli, incendijs, periculis rapinae, &c. tunc enim sufficit auctoritas praedictis prouinciae, vt ex l. 1. Cod. de Reliq. & iuribus funer. tradit Gloss. dist. c. corpora, verbo principis. Nominis principis intelligit Gloss. Pontificem, alijs placere intelligi Regem, vel Imperatorem; si parous sit illatum Ecclesiam, vbi corpora requiescunt: eaque de causa consilium principis exposulauit Concilium, licentiam tamen Episcopi, vel Synodi requisit. Quod si reliquia non sint perpetuae sepulturae traditae, sed solum alicubi deponitae, potuerunt abique alicuius auctoritate ex vno loco in alium transferri, vt deccantibus, & honorificentibus existant: sic cum Gloss. dicto c. corpora, Hugo, Turrecrem. Antonin. Syluest. Angelo, Tabien. & alijs docet Sanchez, lib. 2. c. 43. num. 25. Ad id non videtur improbabile, quod tradit Azor, 1. p. lib. 9. c. 8. quest. 9. Supradictum textum locum habere in eo tantum, qui furtim reliquias effert, & alio deportat, non autem in eo, qui facultate, siue auctoritate, vel consensu eius Ecclesiastici praefecti, cui reliquiarum locus facer vna cum ipsis reliquijs commissus est, id facit.

15 Sexta difficultas, An licitum sit laicis, vel saltem Clericis in minoribus ordinibus constitutis sacra reliquias tangere, vel gestare? Rationem difficultatis constituit D. Greg. lib. 3. epist. 30. ad Constantium Augustum scribens: vbi inquit, in Romanis, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile esse, atque sacrilegium, si Sanctorum corpora tangere quisque fortasse voluerit. Caeterum dicendum est nullam esse culpam, si pie, & religiosè laicus reliquias, quas apud se habet, tangat, quia nullo iure id inuenitur prohiberi. Neque obstat dictum Gregor. quia loquebatur pro illo tempore, in quo non permittitur etiam Sacerdotibus sacras reliquias de loco, vbi reconditae erant, extrahere, amouere, vel gestare. Atiam vsus obicitur, vt ex vno loco in alium transferantur, gestentur, & extrahantur, ac proinde non erit intolerabile, & sacrilegium, si potius erit pium eas religiosè, & deuote tangere, & in capsulis honorifice includere, & sic inclusas gestare. Sanch. lib. 2. c. 43. num. 26. Azor. 1. p. lib. 9. c. 9. quest. 5. Maior difficultas est. An licitum sit laicis reliquias Sanctorum in processionibus gestare? videtur enim id esse illicitum: quia in c. non licet, cl. 1. 3. dist. dicitur, non licet cuiuslibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nec alius, nisi iis, qui ab Episcopo subdiaconi fuerint ordinati. vbi Gloss. verbo portare, inquit in processionibus, & vasa sacra esse, in qua continentur reliquie, consentit Palud. Antonin. Syluest. Tabien. relati à Sanchez lib. 2. c. 43. num. 26. At placet mihi cum eodem Sanch. nullam esse culpam, si reuocenter huiusmodi sacra vasa reliquias continentia laici portent; quia nulli inuenitur prohibitum, & consuetudine id lex receptum est. Neque obstat text. in c. non licet: quia non de vasis continendis reliquijs, vt placet glossae, sed de Calice,

& patena loquitur: haec enim sunt propria vasa altaris; quia in ipsis sacrificium Deo offertur, vt sentit idem Sanch. supra, cum Turrecrem. in dicto c. non licet, num. unico & Grassis, 2. p. decif. lib. 2. c. 14. num. 8.

16 Septima difficultas, licitissime sit vsus accendendi cereos ad Sanctorum sepulchra, imagines, & reliquias? Respondeo licitum, & sanctissimum esse: tum quia ab initio Ecclesiae, sic esse receptum constat ex August. lib. 8. de Cinit. c. vlt. & in lib. 6. confess. c. 2. Gregor. lib. 3. dialog. c. 24. Hieronym. in epist. ad Riparium & alijs Patribus; tum quia ob honestos, & religiosos fines haec lumina accenduntur, nempe ad significandum lumen fidei; quo Sancti decesserunt, & lumen gloriae, quo perfruuntur, & in signum laetitiae, quam ex eorum gloria accipimus, & vt illos hoc cultu moueamus, vt diuino lumine nos perfundant. Quod si aliquis obicit Concilium Elibertinum, can. 34. prohibens cereos per diem in caemeterio incendi; quia Sanctorum spiritus inquietandi non sunt, & Hieronym. testantem contra Vigilantium idololatriam esse ceteros in tumulis Sanctorum accendere, optimè respondet Azor. 1. p. lib. 9. c. 8. quest. 3. dicens Concilium, & Hieronym. prohibere cereos accendere ex gentilitia superstitione, qua iudicabatur defunctorum corpora in tenebris recondita sentire, & lumine indigere; ipsosque illustrari. Non enim inquit Concilium. Sanctorum spiritus hac gentilitia superstitione inquietandi non sunt, neq; homines in teris degentes hoc ritu superstitioso perturbandi. Secus verò est, si ritu pio, & religioso cerei incenduntur.

17 Octaua difficultas. An dari, vel recipi possit pecunia ob reliquias habendas, vel videndas? Et quidem si dares, vel reciperes pecuniam ob habendas, vel videndas reliquias, clarum est, te simoniam committere, quia rem spirituales pretio aestimas. At si non pro ipsis reliquijs, sed vt impediatur irreuerentiam, quae ipsis fieri potest, si apud infideles, vel barbaros existant, pretium tribuas, nullum committis peccatum, sed potius religionem foues, sic Sanchez num. 22. cum Philiarco de officio Sacerdot. Tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. ad finem. Vgolin. de simonia tab. 1. c. 3. n. 5. Et idem est, si nolenti tibi reliquias ostendere, pecuniam dones, vt eius animum infectas abique vilo pacto, & seclato scandalo: quia tunc pecunia non est pretium, siquidem ex illa non intendis recipientem obligari.

18 Sed quid si nullo pacto inito exponeres Sanctas reliquias videndas, & tangendas, vt hac occasione elemosynae accreuerent? Plures Doctores censent, si ex praecipua intentione quaestus id facias, te mortaliter peccare: sic Nauarr. c. 17. num. 169. vers. 62. Atmill. verbo reliquia, num. 1. & Tabien. ibi: Philiar. dicto c. 9. ad finem. Azor. lib. 9. c. 8. quest. 7. Grassis 2. p. decif. lib. 2. c. 14. num. 17. Mouentur ex c. final. de Reliq. & venerat. Sanctos. vbi mandatur, ne reliquie exponantur venales, clarius Trident. sess. 25. c. 2. vbi dicit in reliquiarum veneratione omnis turpis quaestus eliminetur. Ergo prohibet huiusmodi quaestum tanquam turpem. Caeterum probabilius existimo grauem culpam in tali ostensione non committi; sic docet optimè Sanchez lib. 2. decal. c. 43. num. 22. Ratio est; quia ostensione reliquiarum solum intendis excitare videntes ad elemosynas largiores concedendas, non tamen illos ad eas obligare. Ergo reliquias non venaliter ostendis; quia ad venalem ostensionem intercedere debebat mutua ostendentis, & videntium obligatio. At in supradictis textibus solum venalis quaestus prohibetur. Ergo illa ostensio, quae venalis non est, non est prohibita. Dices in Trident. non solum venalem quaestum, sed quemlibet turpem prohiberi. At velle ostensione reliquiarum largiores elemosynas recipere, est turpis quaestus. Ergo hic prohibetur. Respondeo in te non esse turpem quaestum, cum nulla largienti elemosynam obligatio imponatur, sed fieri turpem ex intentione. Concilium autem prohibet quaestum in se turpem; qualis erat venalis, non illum, qui solum ex antecedenti, & extrinsecè sit turpis. Quod inde constat: quia Concilium non intendit nouam prohibitionem inducere, sed antiquam renouare. Inquit enim: omnis turpis quaestus eliminetur, id est omnis, qui in se turpis sit, & prohibitus eliminetur. Antiquitus autem solum venalis quaestus prohibitus erat ex dicto c. fin. Ergo à Trident. hic est solum prohibitus. Adde solum esse prohibendum turpem quaestum, qui grauius turpis sit, at acquirere elemosynas gratis oblatas media reliquiarum ostensione non est quaestus turpis, saltem grauius. Quia non videtur grauius offendi religio, ex eo quod ostensione reliquiarum temporale lucrum consequi intendas. Sat est, si leniter offendatur imò si talis temporalis acquisitio non esset per ostensionem reliquiarum principaliter inuenta, se secundario, nulla ibi adesset turpido.

19 Nona difficultas est, an committat furtum sacrilegium, qui reliquias alterius inuito possessore furatur? Ratio difficultatis esse potest; quia non sunt pretio aestimabiles. Caeterum dicendum est committi furtum, & sacrilegium; quia furari rem sacram contra Domini voluntatem, quae tantae aestimationis est, vt nullo pretio adequari possit, non minuit furtum, sed auget: sic Syluest. verbo reliquia, quest. 2. Philiarcho de offic. Sacerdot. tit. 1. 2. part. lib. 3. cap. 9. ad finem Sanch. alios referens, lib. 2. cap. 43. num. 23. Azor. 1. p. lib. 9. cap. 8. quest. 9. Bonacin. dist. 3. quest.

quæst. 1. p. 4. num. 8. Grauitas enim huius furti non est desumenda ex quantitate reliquiarum, sed ex qualitate: Contingit enim minimam quantitatem magni apud Dominum æstimari: tum propter Sancti dignitatem, tum propter raritatem: sic Sanchez, Bonacina, *suprà*.

20. Limitat primò, Sanch. Philarch. & Bonacina, nisi furetur ab infidelibus, quia ij videntur iniuste eas possidere, vtpote qui non præbent illis sacrum honorem, sed ad summum politicum. Item apud illos semper adest periculum irreuerentiæ: Secundò, limitat Azor *dist. cap. 8. quæst. 9.* nisi accipiantur auctoritate eius præfati Ecclesiastici, cui locus sacer, & reliquiarum custodia commissæ est; tum quia in *cap. corpora. de consecrat. dist. 1.* consilium principis sufficit ad hanc delationem honestandam; Nominè autem principis videtur intelligi posse Ecclesiæ præfectum, & gubernatorem. Tum quia in *cap. quisquis inuentus. §. si quis domum 17. quæst. 4.* communione priuatur, qui domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cui commissæ esse dignoscitur, inde abstulerit. Ergo à contrario sensu, qui ex licentia illius reliquias abstulerit, nullam pœnam incurrit. Hæc limitatio verum habet, si ipsi præfecto non solum reliquiarum custodia, sed illarum dispositio commissæ sit, vt clariùs dixit Azor *quæst. 10. sequenti.* At si solum reliquiarum custodia committatur (vt regulariter tantum committitur) excusare eius licentia à furto non potest, quia nulla est talis licentia, imò ratione custodiæ, si furtum non impedit, de furto tenetur Sanch. *dist. cap. 43. num. 23.*

21. Sed inquires an aliqua pœna sit in iure constituta ipso facto aduersus reliquiarum fures? Respondeo iure communi nullam esse. Sic Sanch. *lib. 2. cap. 43. num. 23.* Bonacina *disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 9.* Neque obstat *vers. in cap. quisquis inuentus 17. quæst. 4.* quo mouetur Azor *lib. 9. cap. 8. quæst. 10.* ad affirmandum impositam esse his futibus maiorem excommunicationem. Nam vt rectè expendit Suar. *disput. 22. sect. 2. num. 9.* & Sanch. *suprà. cum glossa, in supradictò text.* Sola priuatio communionis ibi habetur, quæ tamen priuatio sententiam declarationis criminis requirit. Item hæc priuatio non ob quodlibet furtum incurritur, sed ob furtum cum violentia Ecclesiæ, inquit enim *text.* Si quis domum Dei violauerit (hoc est iuxta subiectam materiam fores eius, & muros perfingeret) & aliqua sine illius licentia, cui commissæ esse dignoscitur, abstulerit, sciat se communionem priuaturus. Ecce quomodo ad communionis priuationem incurrendum furtum violentum acquiritur. Dixi iure communi. Nam ex *Constitutione Gregor. XIII. incipiente Pontificia sollicitudinis:* excommunicatione reseruata afficiuntur, qui sine concessione Summi Pontificis in provinciam Mediolanensem factas reliquias asportauerint, qui item ab vna Ecclesia ad aliam transfulerint, qui aliquam earum particulam concesserint, donauerint, qui item acceperint. Barbosa *3. p. allegat. 50. num. 158.* Bonacina *disputat. 3. de adorat. quæst. 1. p. 4. num. 9.* sentit esse Pontificiam excommunicationem contra eos, qui sine licentia Summi Pontificis extrahunt reliquias ex Romanis cæmeteriis, aliisque sacris locis, vt aliò transferant, non tamen adducit textum, vbi hæc excommunicatio lata fit. Vnum tamen credo certum, semel concessa alicui facultate extrahendi aliquas reliquias ex Romanis cæmeteriis, posse hunc alius donare, eaque sic donatas, quò placuerit transferre Azor *1. p. lib. 9. cap. 8. quæst. 10.*

22. Decima difficultas, qui cultus debeat reliquiis, seu ceteris formis, quas Agnos Dei appellamus à figura Agni ipsis impressa; Nulli Catholicorum est dubium deberi cultum, & honorem, sicuti debetur aliis rebus sacris Deum representantibus. Tum quia sunt Dei imagines, tum quia ad cultum, & venerationem Dei sunt à Pontifice destinati solemnissimo precationum ritu, mitisque ceremoniis pietatem redolentibus; tum quia propter orationes, & precationes Ecclesiæ in eorum efformatione factas multa, & magna beneficia conceduntur eos habentibus, præcipuè tempestates sedantur, mitigantur incendia, fulgura, & flumina pelluntur, & à tentationibus, & suggestionibus demonis defenduntur.

23. Propter hanc causam, & in horum agnorum cultum, Gregor. XIII. in sua constitutione, quæ incipit, *omni certè studio, edita 8. Kalend. Iulij. 1572.* quæque habetur in Bullario tom. 2. pag. 663. & referuntur ab Azor. *1. p. lib. 9. cap. 9. quæst. 2.* fertur excommunicatio ipso facto aduersus eum qui Agnos Dei à Pontifice consecratos depinxerit, infecerit, minto notauerit, vel autum, aut colorem aliquem illis imposuerit, aut quidquam aliud superinduxerit, vel depingit, aut iniuriæ fecerit, aut illos venales proposuerit, vel tenentis quouis prætextu, qualibet de causa. Incedit enim Summus Pontifex ob eorum reuerentiam, & decentiam, vt sic mundi, & alibi, qualiter à Pontifice consecrati fuerint, habeantur. Circa quam excommunicationem aduerto primè agnos iam depictos, & illuminatos licet te retinere posse; quia solum actio pingendi prohibetur, non illorum retentio; sic Sanch. *lib. 2. de decal. cap. 43. num. 28.* Bonacina *disputat. 3. de primo decalogi præcepto. quæst. 1. punct. 4. num. 12.* Secundò, aduerto te non posse absque graui peccato simoniæ, & sub pœna excommunicationis supradictos agnos vendere, aut ad vendendum retinere; plurius quàm præcisâ consecratione valere eorum

materia, & expensæ factæ in illis efformandis, & asportandis, quia venderes consecrationem; neque thecam, & reliquarium in quo sint inclusi potes plurius vendere, quàm venderes, si Agnos consecratos non haberet ob eandem rationem. Vendere item illos, quanti eorum, materia, & expensæ in illis efformandis, & asportandis æstimari, nulla est simonia; sicut nec venditio Calicis, aut patenæ, neque hanc venditionem Pontifex in supradicta constitutione prohibuit, sed solum simoniacam venditionem; Azor, Sanch. & Bonacina, *suprà*. Tertiò, aduerto excommunicationem in eam ob picturam agnorum, & illorum simoniacam venditionem, vel ad illos vendendos retentionem non esse Pontifici reseruatum, vt constat ex verbis supradictæ constitutionis, & tradit Barbosa *3. p. de potest. Eysic. cap. Alleg. 50. num. 150.* cum Sayro, *lib. 3. cap. 35. n. 23.*

24. Sed inquires, an laicis, vel sanctis Clericis in minoribus ordinibus constitutis liceat hos sacros Agnos tangere? Respondeo clericis in minoribus ordinibus constitutis, imò prima tonsura initiatis licitum esse; tum quia illis licet sacra vasa, purificatorium, corporalia, & alia, quæ sunt consecrata tangere, Ergo & agnos. Tum quia ab hoc contractu excluduntur profani, & admittuntur facti, *cap. in sancta Apostolica de consecrat. dist. 1.* Sed initia prima tonsura facti sunt, ex *cap. non oportet 28. dist. 1.* & tradit Suar. *3. tom. in 3. p. de Euchar. disputat. 81. sect. 9. §. tertio argo.* Laicis verò non licet hos agnos, sicut nec corporalia, & alia vasa consecrata, & à fortiori sanctum Chalice tangere, & contricere: quia ita videtur prohiberi, in *cap. fuerat 23. dist. 1.* & tradunt Doctores statim referendi; at de facto tangant debito tamen honore, & reuerentia, culpam grauem non committunt: quia non videtur hæc gratis materia, sed leuis: sic Azor. *1. p. lib. 5. cap. 9. quæst. 3.* Bonacina *disputat. 3. circa primum decalogi præceptum, quæst. 1. punct. 4. circa finem.* Sanch. *lib. 2. de decal. cap. 43. num. 27.* vbi addit se credere nullam culpam etiam leuem committi, tamen à laicis formis hiis qui reuenter tangunt, quia iam sic vltus obtinuit, vnde quæ dicitur tit. de Sacrificio Missæ.

25. Vltima difficultas est, an liceat vasa, vestes, ligna, aliæque cultui diuino dicata in profanos vsus convertere? Certum est, id fieri non posse manente eadem forma: esset enim grauissimum peccatum res cultui diuino dicatas profanis vsibus deferuire: ob hanc enim causam Rex Balthasar fuit grauitè punitus, quia vasa sacra in profanos vsus conuertit.

Verum si benedictio, vel consecratio deperdat, alicui videri potest licitum esse, rem, quæ benedicta, & consecrata fuit, profanis vsibus deferuire posse. Quis enim negabit ex Calice contracto vsus aliquo profanum essingi posse, & ex veste aliqua Sacerdotali iam iuxta aliquam profanam componi posse? alius esset obligatio hæc omnia perdendi: nam cum cultui diuino iam deferuire non possint, & profano non possint adaptari, restat vt omnino consumantur. Quod videtur durum. Præterea nulla videtur rebus factis irreuerentia fieri, ex eo quòd earum materia profanis vsibus aptetur: siquidem nunquam est verum dicere res sacras profanis vsibus aptari. Item destructa, verbi gratia, forma Calicis, iam Calix ille amittit consecrationem, & consequenter iam non est sacer, ergo est profanus. Ergo potest vsibus profanis deferuire. Quid, enim ex præterita consecratione in illa materia remanet; ob quod prohiberis vsui communi materiam illam aptare; siquidem iam communis est; Propter hæc censeo probabile secluso scandalo nullum, vel leuissimum peccatum in hac applicatione interuenire. Nam reus prohibentes hanc applicationem loquuntur de rebus in eadem forma manentibus, ac fuerunt applicatæ: de illis enim est verum dicere. Quæ semel consecrata sunt non debent ad laicorum vsus reuerti, *cap. quæ semel 19. q. 3. c. cap. quæst. sunt. 17. q. 11.* & licet in *cap. ligna. cap. altaria de consecrat. dist. 1.* contrarium infinnetur: ob necessitatem excusari potest irreuerentia, quæ ibi potest præsumi.

At secundum decentiam maximè conuenit, vt ea, quæ vsibus sacris dicata sunt, etiam si vsui sacro reddita sint inutilia, ad profanos vsus non redeant, sed vel comburantur, vel alio modo decenti consumantur, constat ex *cap. ligna. de consecrat. dist. 1.* vbi ligna Ecclesiæ diruta non debent ad alios vsus destinari, nisi ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum monasterij, quem profectum explicat glossa ibi, & Azor statim referendus, vt deseruiant in capitulo, dormitorio, vel aliis locis religiosis, non in rebus, quæ laicis, & religiosis communes sunt, vt rebus culinae parandis, agrisque effodiendis. Item in *cap. altaris, de consecrat. dist. 1.* inquit Clemens Pontifex. Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacratio fuerunt male tractare, sed incendio vniuersa tradantur, cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, quia nullus transitum habeat, aut in pariete, aut pavimento sub tecto, aut in fossis, vel solo pavimento pedibus inquinantur, ne introeant, aut transeuntium pedibus inquinantur. Hæc Clemens: ex quibus verbis bene inferuntur Azor. *1. p. lib. 9. cap. 9. quæst. 7.* in fine. etiam imagines sacras diuinitate consumptas sub cæmeterij solo recondendas, vel in alio loco religioso includendas. Tabulas item imaginibus expressas igni comburendas, & cineres in baptisterium mittendos: adducit

que exemplum antiquæ legis, in qua capilli Nazæorum finito consecrationis tempore in ignem coniciebantur, & similiter ossa, ac cætera, quæ ex Agno Paschali supererant. Ne inquam, hæc pedibus transcutuntur conculcarentur, nève ab immundis animantibus comederentur.

26 Quod si roges, an è contra liceat vala, vestes, & alia huiusmodi profanis vltibus dicata applicare ad sacros vsus? Breuiter respondeo licere, si ab Episcopo, vel habente ad id auctoritatem benedicantur prius, vel consecrentur: hac enim benedictione profanum pellitur, & sacrum fit: sic enim templa idolorum in auias Dei, & Sanctorum Balthæas conuertuntur Syluest. verbo corporalia. quest. 3. Azor. 1. p. lib. 9. cap. 9. quest. 8 Bonac. disp. 3. de adorat. quest. 1. punct. 4. in fin. Suar. tom. 3. de Euchar. disp. 8. 1. sect. 8. vers. Sed quæres.

DISPUTATIO II.

De Sacrificio.

RECIPIVVS actus externus religionis est sacrificium; quia eo præcipue diuinam excellentiam honoramus. Breuiter ergo explicanda est eius essentia.

PUNCTVM I.

Quid sit sacrificium, quotuplex, & an sit in præcepto?

- 1 Expenditur definitio sacrificij.
- 2 Iure naturali sacrificium Deo debetur.
- 3 In lege natura, & veteri multiplex erat sacrificium, in lege noua vnicum tantum.
- 4 Aliqui affirmant ethnicum ignorantem legem gratiæ, & offerentem vitulum in recognitionem supremi domini verum sacrificium offerre.
- 5 Dicendum est non esse verum sacrificium.

1. SACRIFICIUM proprie est actio, qua res aliqua sensibilis per sui mutationem à legitimo ministro offertur Deo in recognitionem eius supremi domini, & nostræ subiectionis: ita D. Thom. 2. 2. quest. 85. art. 2. Valent. disp. 6. quest. 4. punct. 1. & segg. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 17. quest. 2. Lessius lib. 2. de instr. cap. 38. dub. 2. num. 19. & alij. Primo dicitur actio: quia omne sacrificium est oblatio, qua supremum dominium, & nostram subiectionem testatur, sed non qualibet oblatio est sacrificium, sed illa, quæ in re oblata sensibilis mutationem patitur. Tum quia sacrificium est verbum Græcum idem significans, quod mactare, & perire. Tum quia hac ratione perfectius suprema potestas significatur, & exactius testatur Deum esse Dominum vitæ, & mortis. Tum quia apud ethnicos omnia sacrificia aliquam recipiebant mutationem. Tum & præcipue, quia in lege naturæ, & scripturæ nulla absque mutatione erant sacrificia. Nam si viuientia sacrificabantur, vt animalia, id fiebat per occisionem, in animantia, vt carnes occisorum, thus, sal, & farina munda per combustionem, aliæ vt sanguis, vinum per effusionem. Secundo, debet esse oblatio à legitimo ministro facta, id est, à Sacerdote: non enim quilibet vsurpare potest dignitatem Sacerdotalem: quia non est cuiuslibet commissa potestas sacrificandi. Nam cum sacrificium sit cultus externus, & publicus, quo præcipue Deus colitur, & honoratur, debet à ministro publico fieri, aliàs rationem sacrificij non habebit. Tempore legis naturæ ministri publici, & Sacerdotes erant omnes primogeniti, vt multis probat Petrus rom. 2. in Genes cap. ult. Glossa, & Lypmannus. Gen. 25. Vende mihi primogenita tua. Item quilibet patrifamilias sicut auctoritatem quasi regiam habebat, habebat & Sacerdotalem: sic Lessius lib. 2. c. 28. dub. 2. num. 12. Tandem speciali instituto Dei plures compulsi sunt ad sacrificandum, & consequenter Sacerdotes fuerunt constituti, vt Abel, Noë, Abraham, Iob, Melchisedech, Isaac, Iacob, & alij. Tertio, debet fieri Deo talis oblatio: quia soli vero Deo hic cultus debetur; testatur inquam, illo Deum esse omnium dominum, à quo omnia producantur, pendunt, & conseruantur, quod alteri quam Deo conuenire non potest, vt bene probat ex August. lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 27. & lib. 10. c. 14. & 19. & lib. 10. contra Faustum, cap. 21. & D. Thom. 2. 2. q. 93. art. 2. Azor. 1. p. lib. 9. c. 10. quest. 15. & lib. 10. c. 17. q. 8. Valent. disp. 6. quest. 4. punct. 2. Quarto, debet fieri in recognitionem supremi domini, & nostræ ad ipsum subiectionis; quia hic est præcipuus finis, ob quem sacrificia

fiant, & quia sacrificium, quod vocabatur holocaustum, in quo res oblata igne consumebatur, huic finem specialiter testabatur, idco holocaustum in lege veteri erat præcipuum sacrificium. Alia item sacrificia erant instituta pro expiatione peccatorum, pro gratis agendis beneficij accepti, pro aliis de nouo impetrandis, quibus sacrificantes implicite saltem testabantur supremum dominium, siquidem eo ipso indicabant solum Deum remittere peccata posse, & beneficia conferre.

2 Ex his inferitur sacrificium iure naturæ debitum esse Deo sic D. Thom. communiter receptus. 2. 2. q. 85. art. 4. Quia debitum est Deo, vt creatura rationalis, corporalis, visibilis, testetur dependentiam, quam à suo creatore habet, & consequenter eius supremam maiestatem, & dominium. Quo autem sacrificio hoc fieri debeat non est à natura inditum, sed Deus suo speciali instinctu, vel mandato designat. In lege naturæ sacrificia instituit specialis impulsu, & instinctu, in lege veteri, & noua, peculiari mandato.

3 Sacrificium tam in lege naturæ, quam veteri multiplex erat, vt constat Genes. 4. 14. Leuit. 1. & segg. & aliis plurimis in Leuit. At adueniente lege gratiæ, & instituto diuinitus Eucharistiæ sacrificio, omnia illa antiqua cessarunt; quia illius vmbra erant, & figura, vt satis colligitur ex Paulo ad Hebr. 7. & ex Trident. sess. 22. cap. 2. & docent omnes Catholici. Præter hoc diuinum Eucharistiæ sacrificium nullum aliud in lege noua inuenitur, vt satis in supradictis locis expressum est, & passim docent Patres. Continet enim hoc sacrificium virtutem infinitam, tum ad placandum Deum pro propriis peccatis, tum ad impetrandum ab eo beneficia, tum ad gratias referendas pro beneficijs acceptis, tum ad illum summè laudandum: superuacaneum ergo erat alia sacrificia instituire. Neque obstat thus offerri, & adoleri in altari in significationem supremi domini, & excellentiæ, & nostræ ad Deum seruitutis vt affirmemus habere veram rationem sacrificij. Non enim illam habere potest, dum à Deo pro re sacrificanda non instituitur, & à Sacerdote electo, & de signato ad illud munus non offertur. At oblatio thuris in altari non pro sacrificio, sed pro sacrificij ornatu, & ad excitandam fidelium deuotionem est ab Ecclesia instituta, neque Sacerdotes Euangelici sunt constituti Sacerdotes per ordinem ad thuris oblationem, sed solum per respectum ad Missæ sacrificium. Ergo sola oblatio Missæ est sacrificium, non alia.

4 Hinc inferitur decisio illius quæstionis, an offerentes vero Deo vitulum, agnum, fruges terræ, &c. ex intentione Deo sacrificandi, opus bonum præstent, veraque Deo sacrificia offerant: Clarum est Christiano illicitum esse; quia sic offerens ea, testatur alia esse sacrificia præter Missæ sacrificium, & supradicto Missæ sacrificio omnia sacrificia non esse abolita. Item à fortiori constat de Iudæo; quia hoc sacrificio testaretur se adhuc credere veterem legem habere vigorem, sic alijs relictis probat Lessius statim referendus, Quare solum est dubium de ethnico inuincibiliter ignorante legem gratiæ. An inquam hic peccet, verumque sacrificium offerat; Probabile credit Lessius lib. 2. cap. 38. dub. 3. num. 28. non peccate, verumque sacrificium offerre. Mouetur primò auctoritate D. August. epist. 49. quest. 3. vbi ait, qui Christianas literas veriusque testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum, quod construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quod hæc dæmoniis, & idolis exhibeant. Ergo dum illa exhibent vero Deo, non sunt culpandi. Secundo, quælibet res publica iure naturæ debet sacrificio Deum colere, & honorare, sed postea ignorantia veri sacrificij Eucharistiæ, nullum aliud sacrificium excogitari aptius posset, quam animalium occisio, & frugum terræ peremptio. Ergo res publica poterat iure naturæ ducta hæc sacrificia Deo offerre, & ad illa offerenda Sacerdotes destinare. Ergo cum in aliqua republica hoc factum est, nullum à sacrificantibus committitur peccatum, sed potius opus laudabile fit, & verum sacrificium.

5 Nihilominus dicendum est, tales oblationes, etsi sacrificia nuncupentur, vera sacrificia non esse. Quia omnia sacrificia extinda sunt institutione Eucharistiæ sacrificij. Neque Christus Dominus reliquit potestatem hominibus alia sacrificia instituendi, sicut neque constituendi alios Sacerdotes præter ab ipso institutos. Ergo oblatio ex illis animalibus, & frugibus terræ facta à Sacerdote ethnico veram non habet rationem sacrificij. Tum quia non est de materia legitima. Tum quia non est à legitimo ministro. Verum etsi hoc ita sit, sententia August. verissima est, scilicet illos ethnicos in talibus sacrificijs culpam non committere formalem inquam; quia illos ignorantia vere legis, verique, & vnicj sacrificij excusat. In re tamen culpa est, & grauissima; quia testatur hoc tempore posse Deum pluribus sacrificijs honorari, & sanctissimum Eucharistiæ sacrificium non esse sufficiens.